



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CCVII. Dei Alterleute der Gewandschneider setzen 60 Schock zur Stiftung eines Altares in der Gertraud-Kapelle aus, am 1. April 1409.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

CCVII. Die Alterleute der Gewandschneider setzen 60 Schock zur Stiftung eines Altars in der Gertraud-Kapelle aus, am 1. April 1409.

Reuerendo in Cristo patri ac domino, domino Johanni episcopo lubucensi, Ac eius in spiritualibus vicario et administratori generali Seniores necnon omnes et singuli in conuencione et gulda pannicidarum in opido ffrankenford, vestre lubucensis dyocesis, studiosam in omnibus obediendi, reuerendi et obsequendi voluntatem. Reuerende pater et domine, cum summe interest, sic in transitoriis disponere, ut non in eternum mansura obmittamus, hinc est, quod diem messionis extreme quantum possumus nunc operibus desiderantes preuenire, ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis dei sueque gloriose genitricis et virginis marie et omnium sanctorum dedimus, donauimus et assignauimus ac tenore presentium damus, donamus et assignamus sexaginta sexagenas pragensium grossorum ad comparandos redditus pro dotacione altaris fundati et erecti in honorem sanctorum thome apostoli gloriosi et Nicolai confessoris preconisati, Necnon sanctarum barbare, dorothee et elizabeth in capella sancte gertrudis prope et extra muros opidi frankenford situati, Sic quidem, quod prefati altaris ius presentandi ad communitatem conuencionis et gulde nostre pannicidarum perpetue debeat pertinere. Quamdiu vero ad dictum altare seu eius dotem redditus fixi alias non fuerint comparati, annuatim de pixide ghulde nostre pannicidarum antedictae vicario ad dictum altare presentato et instituto ipsumque altare per se uel per alium missarum celebracionibus officianti pro sustentacione promittimus in festo sancti iohannis baptiste soluere sex sexagenas pragensium grossorum pro sustentacione sua ac sui ad prefatum altare successoris, donec pro predictis sexaginta sexagenis redditus competentes et fixi pro dote ipsius altaris et sustentacione altaris, qui pro tempore fuerit, commodose poterimus comparare, quibus comparatis a solucione huiusmodi sex sexagenarum pro sustentacione altaris per nos prius expositarum liberi esse volumus et soluti. Quare paternitati vestre studiose supplicamus, quatenus prefatas sexaginta sexagenas pro dote assignatas et redditus pro eis comparandos tanquam iam nominati et in spem expressati inter bona ecclesiastica et redditus ecclesiasticos ascribere dignemini, prefatumque altare cum ceteris beneficiis ecclesiasticis ciuitatis et dyocesis vestre lubucensis et presertim ecclesiarum opidi frankenford communicare et recipere, confirmacionis vestre ordinarie eidem munus impendendo, diuine remuneracionis et nostrarum seruitutum ob respectum. In quorum premissorum euidentiam pleniorum sigilla famosorum virorum Johannis bedeker, hermanni krossin, Johannis Renner et Johannis grunenbergh, tanquam dicte conuencionis et ghulde pannicidarum seniorum, presentibus duximus appendenda. Datum ffrankenford, Anno domini M^o CCCXC^o, feria secunda proxima post dominicam palmarum.

Nach dem Orig. des Stadtarchives VIII, 3, 92 u. 97.